

IN LIBRUM PRIMUM

E P I T O M A.

Causæ secundi belli Gallici primo loco referuntur: Nicolaus cognomento Stella, Guinifii Lucensis opes improvise bello fregit: Foscarius Princeps ab Andrea Contareno violatus est: Franciscus Sforcia in Hetruriam transit, Lucensibusque libertatem restituit: Nicolaus Picininus & ipse adversus Florentinos in Hetruriam erupit: Philippus spem futuræ affinitatis Sforciæ prætendit: Thessalonica in Thermaico sinu a Turcis capta est: Suburbanæ aquæ alta glacie concretæ plaustris sunt perviæ factæ: Florentini de Pisis retinendis vehementer laborare cœperunt: Bellum circa Cremonam cum Philippo est renovatum: Veneta classis Padanis aquis profligata est: Genuenses in Rapallitano sinu a Venetis ingenti sunt prælio victi: Lauretanus rem Ecclesiæ ad Urbem Veterem juvit: Philippus cum Carmaniola ad Summam congressus, æquo Marte dimicavit: Cremona pene capta est: Picininus Ligusticam oram multis cladibus afflixit: Monferratensem Principem, Venetorum socium, principatu dejecit: Chiensis insula aliquandiu frustra est a Venetis oppugnata: Carmaniolæ fides apud Patres suspecta esse cœpit: Carmaniola perfidiæ convictus, securi est percussus: Venetus in Camonica Valle parum prospere pugnavit: Pax cum Philippo secuta est.